

ne, ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur? ut pulsus requirant? ut aliquid scire se gaudeant? ut aliis narrare gestiant? ut pompa, ludis atque ejusmodi spectaculis teneantur, ob eamque rem vel famem et sitim perferant? Quid vero? Qui ingenuis studiis, atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem, omniaque perpeti, ipsa cognitione et scientia captos? et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant, voluptatem? Mihi quidem Homerus hujusmodi quiddam vidisse videtur in iis, quae de Sirenum cantibus finxerit. Neque enim vocum suavitate videntur, aut novitate quadam et varietate cantandi revocare eos solitae, qui praetervehebantur, sed quia multa se scire profitebantur, ut homines ad earum saxa discendi cupiditate adhaerescerent. Ita enim invitant Ulixem: (nam verti, ut quaedam Homeri, sic istum ipsum locum).

O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulixee,

Auribus ut nostros possis agnoscere cantus.

Nam nemo haec unquam est transvectus caerulea cursu,

Quin prius adstiterit vocum dulcedine captus;

Post variis avido satiatus pectore musis,

Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.

Nos grave certamen belli, clademque tenemus,

Graecia quam Trojae divino numine vexit;

Omniaque e latis rerum vestigia terris.

Vidit Homerus, probari fabulam non posse, si cantu-
culis tantus vir irretitus teneretur. Scientiam pollicentur:
quam non erat mirum sapientiae cupido patria esse cariorem.
Atque omnia quidem scire, cujuscumque modi sint, cupere
curiosorum: duci vero majorum rerum contemplatione ad
cupiditatem scientiae, summorum virorum est putandum.

Quem enim ardorem studii censetis fuisse in Archimede,
qui dum in pulvere quaedam describit attentius, ne patriam